

aliena ut cures ea quae nil ad te attinent?

25 *CH.* homo sum : humani nil a me alienum puto.  
vel me monere hoc vel percontari puta :

rectumst ego ūt faciam ; non est tē ūt deterream.

*ME.* mihi sic est usu' ; tibi ut opu' factost face. 80

*CH.* an quoiquamst usus homini se ut cruciet? *ME.* mihi.

30 *CH.* si quid laborist nollem. sed quid istuc malist?

quaeso, quid de te tantum meruisti? *ME.* eheu!

*CH.* ne lacruma atque istuc, quidquid est, fac me ut sciam :

ne retice, ne verere, crede inquam mihi :

aut consolando aut consilio aut re iuvero. 85

35 *ME.* scire hoc vis? *CH.* hac quidem causa qua dixi tibi.

*ME.* dicetur. *CH.* at istos rastros interea tamen

adpone, ne labora. *ME.* minime. *CH.* quam rem agis?

*ME.* sine me vocivom tempu' nequod dem mihi 90

labori'. *CH.* non sinam, inquam. *ME.* ah non aequom

facis.

40 *CH.* hui tam gravis hos, quaeso? *ME.* sic meritumst  
meum.

*CH.* nunc loquere. *ME.* filium unicum adolescentulum

habeo. ah quid dixi habere me? immo habui, Chreme ;

nunc habeam necne incertumst. *CH.* quid ita istuc? 95

*ME.* scies.

est e Corintho hic advena anu' paupercula ;

45 ei(u)s filiam ille amare coepit perditte,

prope iam ut pro uxore haberet : haec clam me omnia.